Sit omnibus notum quod nos domna Beatrix dei gratia abbatissa monasterii sancti Danielis Gerunde, visa et inspecta utilitate dicti monas-
terii pro nobis et omnibus successoribus nostris redimimus seu tornamus tibi Petro de Rosario de Fornellis et tuis imperpetuo ad tres denarios
barchinonenses monete de terno annuatim censuales nobis et nostro monasterio dandos in festo Natalis domini, illam tascham quam accipiebamus et
accipere debebamus et consueveramus in quadam terra vocata de Roura quam pro dicto monasterio tenes in parrochia de Fornellis, que
affrontat ab oriente in honore mansi Cancellarii, a circio et ab occidente in honore tuo quem tenes pro domino Montiscatani, a meridie in ho-
noribus Ffrancisci Ferrarii et Martini de Castro, in qua terra possitis tu et tui plantare quicquid volueritis, et de explectis que ibi erunt
non teneamini tu nec tui dare dicto monasterio dictam tascham, set loco eius debeatis et dare teneamini tu et tui nobis et dicto monasterio dictos
tres denarios censuales in dicto festo ut superius dictum est. Tamen pro dicta terra et pro aliis quas pro dicto monasterio tenes consuevisti dare
annuatim censualiter unum par caponum in festo omnium sanctorum. Et pro predictis recognoscimus recepisse et habuisse a te quinquaginta solidos
barchinonenses monete de terno, renunciando excepcioni non numerate pecunie. Et ego Petrus de Rosario predictus firmans et laudans omnia supradicta
promitto vobis dicte domne abbatisse et successoribus vestris dare quolibet anno dictos tres denarios censuales in festo Natalis domini pro dicta
tascha et etiam dictum par caponum pro dicta terra et aliis que per vos et dictum monasterium teneo annuatim ut superius dictum est. Actum
est hoc ·xiiii· kalendas augusti anno domini · M · CCC · duodecimo. Signum domne Beatricis dei gratia abbatisse predicte que hec firmamus et laudamus.
Signum Ffrancisci Ferrarii bauli qui hec firmo. Signum P. de Rosario predicti qui hec firmo et laudo.

Testes huius rei sunt: P. de Ulmo de Fornellis, Bartholomeus de Fabricis de Gerunda et Michaelis Marchesii.

Signum Petri Burgesii presbiteri notarii substituti auctoritate regia a R. Simonis de Roylano presbitero Gerunde notario, qui
hec scripsi et clausi.

nº 432

Nº 155. Ll. 22 p. 416

Traslat nº 153 Ll. 22

Fornells.

Reducció a 3 dinrs. censuals de una tasca que Pere Rosar de Fornells prestaba al Monastr. de S. Daniel per rahó de certa terra anomenada de Rovira que posseia en Fornells. A mes presta 2 capons

A agost 1312.

Reductio [illegible] una pessa de terra [illegible] Fornells [illegible] sta parte [illegible] de [illegible] St. Daniel [illegible] Pere Rosar [illegible]

forn. [illegible]

Fornells

[illegible] pessa de terra [illegible] nomenat Rovira [illegible]

AC/3720 Nº 1 del plec segon de Fornells

T. 255 × 229

448